

## GIURISPRUDENZA

---

1. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA – Decreto del Segretario (Daneels), *Scelta della chiesa di una nuova parrocchia* – Prot. N. 45184/11 CA [contenzioso amministrativo], 5 luglio 2011.\*

### DECRETUM

Nuntio in ecclesia Sancti Francisci Assisiensis diebus 31 ianuarii et 1 februarii 2009 dato de suppressione duarum paroeciarum personalium et unionis earum cum paroecia S. Francisci, cuius vero ecclesia pro cultu claudenda videbatur, adeo ut ecclesia Transfigurationis dein adhiberetur uti ecclesia paroecialis pro paroecia S. Francisci, D.nus N. simul cum quattuor fidelibus die 7 februarii 2009 revocationem annuntiatae decisionis ab Exc.mo Episcopo expetivit.

Recepto exemplari decreti ab Exc.mo Episcopo die 3 februarii 2009 ad rem emanati et remonstratione die 16 februa-

rii 2009 reiecta, D.nus N. cum tribus fidelibus die 15 martii 2009 recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis interposuit.

Exc.mus autem Episcopus die 1 septembris 2009 novum decretum emanavit, quod reductionem ecclesiae Sancti Francisci in usum profanum, rationibus additis, denuo statuit, quodque a Recurrentibus separatim impugnatum non est. Congregatio pro Clericis die 25 ianuarii 2011 recursum, facta mentione utriusque decreti, reiecit.

Litteris tandem diei 7 martii 2011 solummodo D.nus N. recursum ad H.S.T. subscripsit.

Petitis ac receptis actis pro examine praeliminari,

SUPREMUM SIGNATURAE  
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod paroecia S. Francisci Assisiensis impugnatu decretis nec relate ad territorium nec relate ad personam iuridicam mutata est;

Perpenso quod Congregatio in decreto impugnato relate ad reductionem ecclesiae S. Francisci in usum profanum agnovit:

- gravem causam reductionis, scilicet insufficientiam bonorum paroeciae S. Francisci ad tres ecclesias conservandas: "the inability to maintain all of the sacred edifices within its boundaries";
- accuratam selectionem ecclesiae conservandae ex parte Exc.mi Episcopi iuxta criteria accessus et amplitudinis ad auctum numerum fidelium recipiendum;

Considerato quod Recurrens tantummodo asserit paroeciam S. Francisci ecclesiam S. Francisci sustinere posse et criteria in decreto Exc.mi Episcopi adducta pro selectione ecclesiae Transfigurationis tamquam ecclesiae ad cultum conservandae vera non esse, dum, e contra, ecclesia S. Francisci seligenda fuisset: "In a head to head comparison of which church building would be most accommodating, safest to access, least expensive to maintain, and have the best structural longevity, the Saint Francis church is clearly the best locale to accommodate the consolidated parish";

Perpenso ergo quod:

- obiectum huius recursus solummodo est selectio ecclesiae Transfigurationis loco ecclesiae S. Francisci Assisiensis tamquam ecclesiae ad cultum publicum in paroecia S. Francisci adhibendae;
- quaestio quaenam ex illis duabus ecclesiis melius cum exigentiis novae paroeciae congruat meritum causae, non legitimitatem decreti respicit;

Praetermissis aliis quoque ad rem forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae substituto;

Vi art. 76 *Legis propriae* Signaturae Apostolicae,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti**

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus, motivis suffultus, ad Congressum intra

terminum peremptorium decem dierum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae Signaturae Apostolicae*).

Datum Romae e Sede huius Supremi Tribunalis die 5 iulii 2011

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.

*Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.

*Notarius*